

non immerito S. Hieronimus in lib. 4. ad versus Pelagianos, reprehendit Pelagianos, quod dicerent in testamento veteri regnum cœlorum esse promissum.

Restant leges et mandata, quorum aliã cœremonialia, alia judicialia, alia moralia erant in veteri testamento. In novo autem pro Cœremoniis illis Mosaicis, quæ propemodum infinitæ erant « instituit in Evangelio » Christus, ut sanctus Augustinus loquitur in epist. 148. ad Januarium, « Sacramenta numero paucissima, observatione facillima, significatione præstantissima, quibus societatem novi populi colligavit ». Et in Psalm LXXIII. Mutata, inquit, sunt Sacramenta, facta sunt pauciora, facilliora, salubriora, feliciora ».

Judiciales leges in Evangelio, Christus non tulit, sed ferendas reliquit iis, qui variis in locis rempublicam gerentes pro rerum, personarum et temporum diversitate instituendas esse judicaverint. Hoc enim interest inter populum Hebræum et Christianum, quod ille unam gentem et unam regionem, eamque satis exiguam continebat. De qua re vide Hieronymum in epist. ad Dardanum, de terra promissionis, iste autem orbem terræ complexus est, ubi regiones sunt et regna vastissima, mores et consuetudines diversissimæ, temperamenta, ingenia, habitus animorum et corporum infinitis modis variantes. Hinc igitur facile poterat Hebræus populus iisdem judiciis regi, non potest autem populus Christianus ulla ratione iisdem particularibus ritibus et legibus gubernari.

Morales leges, quæ perpetuæ sunt, easdem fere habent lex et Evangelium, ut ostendit S. Augustinus lib. XIX, contra Faustum, cap. 28. sed in hoc præstat Evangelium legi, quod quædam graviora, quæ a Judæis propter infirmitatem ipsorum in lege non exigebantur, a Christianis in Evangelio exiguntur ut patet de libello repudii et polygamia: quædam etiam expressius leguntur in Evangelio, quæ obscurius habebantur in lege. Quare S. Augustinus, cum in lib. contra Adimantum, cap. 3. scripsisset, nihil esse in Evangelica Et Apostolica disciplina, quod in lege et Prophetis desideretur: admonuit postea in lib. 4. retract. cap. 22. addendam fuisse voculam « fere »; non enim, omnia, sed fere omnia, quæ ad mores pertinent, habet Evangelium cum lege communia.

(1) Psal. LXV, 18.

Sed ut plane intelligatur, quemadmodum in Evangelio Dominus legem moralem non sustulerit, sed perfecit, exponam breviter summam sermonis Domini in monte, quem vere scripsit S. Augustinus lib. 4. de sermone Domini in monte, cap. 4. omnibus præceptis, quibus vita hominis formari potest, esse perfectum.

Initio igitur sermonis sui, Dominus, quasi loco proœmii, divino prorsus artificio, simul explicat finem ultimum hominis et virtutum, atque operum bonorum utilitatem proponit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et quæ sequuntur. Quoniam enim ultimus finis, principium et fundamentum est totius doctrinæ moralis, ideo primo loco exponi debuit, simul autem adjungi par fuit utilitatem virtutis ut discipuli attentiores efficerentur.

Deinde, quasi proœmio explicato, accedit Dominus ad præcepta tradenda, et primum instruit Doctores, deinde auditores. Doctores admonet, eos salem terræ et lucem mundi esse debere, id est, sapientia et charitate ita cæteris præstare, ut alios sapientes et arduos efficere possint. Quas duas condiciones non semel repetivit, cum præpositos Ecclesiæ fideles, et prudentes esse debere præmonuit.

Aggreditur deinde instructionem populorum eosque instruit, tum quoad substantiam præceptorum divinorum, tum quoad finem; nam in utroque scribæ et pharisæi pravæ opiniones induxerant.

Quod attinet ad substantiam præceptorum reprobat Dominus quinque Pharisæorum corruptelas. Primum, depravabant scribæ et pharisæi præcepta gravissima de homicidio et adulterio, docentes in ejusmodi præceptis, actum externum solum esse prohibitum, non autem internum, nisi signis exterioribus proderetur. In quo errore fuit etiam Josephus lib. XII. antiquitatum, cap. 13. Et David Kimhi in comment. Psalm. LXV. vers. 17. exponens illud: *Iniquitatem si adspeci in corde meo, non audiet Dominus*: depravat enim illud, *non audiet Dominus*; ut significet, non imputabit Dominus. Adversus ejusmodi corruptelas, declarat Dominus legem, non occides, non solum manum, sed etiam linguam et animum cohibere; et legem, non mœchaberis, extendi usque ad concupiscentiam in ipsa mente conceptam.

Deinde, Pharisæi depravabant legem de repudio; quod enim ob infirmitatem eorum hominum lex impunitum dimiserat, ipsi ut rem absolute justam proponebant. Dominus autem docuit, non licere uxorem dimittere, nisi causa fornicationis, et legem de libello repudii penitus abrogavit.

Tertio, Pharisæi docebant, non esse pejerandum, tamen frequentare juramenta, etiam levi de causa nullum peccatum esse ducebant. Contra Dominus jubet, non esse jurandum omnino, nisi (videlicet) subsit jurandi necessitas.

Quarto, corrumpebant pharisæi legem illam talionis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Nam cum non animadverterent, eam legem constitutam fuisse ad justitiam conservandam, non ad appetitum vindictæ saturandum, docebant, licitum esse vindictam appetere. Dominus igitur monet, non esse appetendam vindictam, nec malum pro malo reddendum; sed potius paratum esse debere hominem probum si opus sit, percutienti maxillam unam, præbere etiam alteram.

Quinto, pervertebant pharisæi primum dilectionis præceptum. Quoniam enim lex jusserat, ut hostes suos occiderent, non odii causa sed zelo justitiæ, qua justa bella interdum etiam a piis Regibus indicuntur, illi generale præceptum tradebant diligendos esse amicos, odio habendos inimicos. Dominus ergo gravissime admonet, diligendos esse inimicos, benefaciendum his, qui nos oderunt, orandum pro persequentibus et calumniantibus nos.

His ita explicatis transit ad modum, ac docet, cavendam esse in primis inanem gloriam, et non esse facienda opera bona ea intentione, ut videantur et laudentur ab hominibus. Et quoniam nimis prolixum fuisset, de singulis operum bonorum generibus disserere; revocavit omnia ad tria capita, orationem, jejunium et eleemosynam, quorum primum erga Deum, alterum erga nos ipsos, tertium erga proximum exhibemus; et uno mentem, altero corpus, tertio bona externa sacrificamus.

Addit postea Dominus, ac docet, quæ sint impedimenta cavenda et quæ adjumenta quærenda iis, qui cupiunt ad perfectionem justitiæ pervenire. Impedimenta tria demonstrat, nimiam sollicitudinem in opibus congregandis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*; supervacaneam diligentiam in rebus etiam necessariis procurandis, *No-*

lite solliciti esse in crastinum. Temerarium judicium de vita et factis alienis, *Nolite judicare*, Adjumenta etiam tria ostendit, orationem assiduam, *petite et dabitur vobis*; conatum et contentionem proficiendi et superandi omnes difficultates; *Contendite intrare per angustam portam*; electionem bonorum magistrorum: *Attendite vobis a falsis Prophetis*

Postremo concludit sermonem iterum commendans utilitatem operum bonorum, ut in proœmio fecerat: *Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, similis est viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram etc.* Atque hæc de sermone Domini in monte.

Perfecit autem Dominus legem moralem, non solum explicando et addendo quæ diximus, sed etiam adjiciendo consilia quædam ad perfectionem charitatis, quæ finis est omnium præceptorum, adipiscendam aptissima; de quibus satis multa disputavimus in lib. de Monachis. Habemus igitur primum discrimen legis et Evangelii, ex quo manifeste colligitur obedientiam legis, atque opera bona non minus, sed multo magis in Evangelio, quam in lege doceri. Proinde Lutheranos sine dubitatione verum Evangelii ac legis ignorare discrimen.

CAPUT IV.

Ostenditur alterum discrimen legis et Evangelii.

Alterum discrimen legis et Evangelii sumitur ex annexis. Nam lex per Mosem data est, qui legislator tantum fuit, Evangelium per Christum, qui non fuit solum legislator, sed etiam Redemptor. Proinde lex venit sola; Evangelium non solum, sed cum gratia. Itaque qui legem in monte Syna per Mosem acceperunt, doctrinam tantum acceperunt, ut instructi per legem, inter vitia, virtutesque discernere: qui vero per Christum Evangelium acceperunt, non solum doctrinam, sed etiam gratiam acceperunt, ut non modo inter virtutes et vitia discernere, sed etiam ut justitiam diligerent, et odio haberent iniquitatem.

Hoc discrimen prædixerunt Ezechiel cap. XXXVI. et Hieremias cap. XXXI. Ille enim cum Baptismum adumbrasset illis verbis: *Efundam super vos aquam mundam, et mun-*

dabimini ab omnibus inquinamentis vestris, adjungit de spiritu gratiae, auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciām, ut in praeceptis meis ambuletis. Iste autem disertis verbis duo testamenta distinguit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti, pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc est pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum* (1).

Quam prophetiam de testamento novo, cujus Christus auctor est, exponit Apostolus ad Hebr. viii et x. et idem Apostolus ad Rom. v. cum dicit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (2). Significat legem in corde scriptam, de qua loquitur Hieremias, et spiritum in media nostri positum, de quo vaticinatur Ezechiel, nihil esse aliud, nisi charitatem in corde diffusam. Tunc enim Deus facit, ut ambulemus in praeceptis suis, cum charitatem in cordibus nostris diffundit; *Quoniam qui diligit, legem implevit, et plenitudo legis est dilectio*, Rom. xiii (3). Quod discrimen copiose et eleganter persequitur S. Augustinus in pluribus locis, sed praecipue in toto libro de spiritu et littera.

Porro hoc discrimen legis et Evangelii tantum abest, ut operum necessitatem ab Evangelio removeat, ut eam potius ad Evangelium maxime pertinere demonstrat. Quorum enim cum Evangelio gratiam bene operandi, et legis ipsius implendae Christus conjunxit, nisi ut, quod per litteram legis evangelicae discimus esse faciendum, id per spiritum et gratiam impleamus? Quod enim Apostolus ait, II Corinth. iii. *Littera occidit, spiritus vivificat* (4), demonstrat S. Augustinus, manifestissima ratione, non tantum intelligi debere de littera legis Mosaicae, sed etiam de littera legis Evangelicae, utraque enim occidit, si a spiritu separetur. Sed ideo scriptum est de lege Mosis, lex iram

operatur. Non autem scriptum est de lege Christi, Evangelium iram operatur, quoniam (ut diximus) cum Moses legem dedit, nihil nisi litteram dedit, Christus autem cum Evangelium dedit, simul cum littera spiritum dedit. Quare S. Joannes hoc ipsum discrimen attendens ait: *Lex per Mosem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, Joan. i (5). Habemus igitur duas potissimas differentias legis et Evangelii. Nunc paucis percurramus alias, quae ex his duabus tanquam ex fontibus derivantur. Ex primo discrimine nascuntur alia tria, et ex secundo item tria.

Tertium igitur discrimen legis et Evangelii est, quod lex Mosis uni tantum genti data fuit, lex Christi omnibus gentibus, Deuter. iv. *Quae est alia gens, ut habeat caeremonias, iustaque judicia, et universam legem, quam ego ponam hodie ante oculos vestros?* Psal. cxlvii. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis*. Rom. iii. *Quid ergo amplius Judaeo est, aut quae utilitas circumcisionis? Multum quidem per omnem modum, primum, quia credita sunt illis eloquia Dei*. Et cap. ix. *Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus hodie, secundum carnem, quorum est testimonium et legislatio etc.* At Christus Matth. ult. *Euntes (inquit) docete omnes gentes; Et Marci ult. Praedicate Evangelium omni creaturae*. Et Lucae ult. *Oportet praedicari in nomine meo poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolymsa*. Et Apostolus ad Rom. i. *Non erubescio evangelium. Virtus enim Dei in salutem omni credenti, Judaeo primum, et Graeco* (6). Oritur hoc discrimen ex primo. Lex enim Mosis positiva (id est) caeremonialis et judicialis angusta erat, et ritus, ac judicia particularia continebat: Evangelium vero lex est perfecta et ritus, praecepta et sacramenta ita universalia comprehendit, ut toti mundo communia esse possint.

Quartum discrimen, quod oritur etiam ex primo, in eo positum est, quod lex umbram, et figuras rerum futurarum magna ex parte complectitur: Evangelium ipsum corpus, et veritatem exhibet. Joan. i. *Lex per Mosem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (7). Lex enim per Mosem data, per Christum facta est gratia, propter infusionem

(1) Ez. XXXVI, 25. — (2) Rom. V, 5. — (3) Rom. XIII, 10. — (4) II Cor. III, 6. — (5) Joan. I, 18. — (6) Deut. IV, 8; Psal. CXLVII, 20; Rom. III, 1; ib. IX, 2; Mat. XXVIII, 19; Marc. XVI, 14; Luc. XXIV, 47; Rom. I, 16. — (7) Joan. I, 18.

fidei et charitatis, facta est veritas, propter impletionem omnium figurarum. I Corinth. x. *Haec autem in figura facta sunt nostri*. Et paulo post: *Haec autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem*. Hebr. x. *Umbram habent lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum* (1). Denique passim in Evangelio legimus, varia in Christo mysteria fuisse completa, quoniam sic scriptum erat in lege, aut prophetis.

Quintum discrimen est, quod lex Mosis adveniente Christi lege mutanda erat, Christi autem legi nulla succedere debet alia lex. Oritur hoc discrimen, ut alia duo, item ex primo; ideo siquidem mutanda fuit lex Mosis, quoniam imperfecta erat, omne enim imperfectum perfectiori cedit, et umbræ luce apparente diffugiunt. Lucae xvi. *Lex et Propheta, usque ad Joannem Baptistam*. Hebr. vii. *Translatio sacerdotii necesse est, ut et legis translatio fiat*. Et ibidem. *Reprobatio fit precedentis mandati propter infirmitatem et inutilitatem*. Et cap. viii. *Dicendo novum, veteravit prius. Quod enim antiquatur et senescit, prope interitum est*. Et ad Galat. iii. *Quid ergo lex? propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat* (2). At Christi legem non esse finem habituram, perspicuum est ex duobus. Primo, quoniam sacerdotium Christi manet in aeternum, juxta illud Psalm. cix: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (3). Secundo, quoniam regni Christi nullus erit finis, ut legimus Danielis ii. et Luc. i. Lex enim cum sacerdotio et regno ita conjuncta est, ut illis manentibus, et ipsa manere debeat, quod de sacerdotio et lege Apostolus docet ad Hebr. vii. de regno et lege dubium esse non potest, cum regnum proprium sit leges ferre, neque ullum sit regnum, quod proprias leges non habeat. Denique Testamentum novum aeternum dicitur, Psal. cx. *Mundavit in aeternum testamentum suum*. Baruch. ii. *Statuam illis testamentum alterum sempiternum*. Ad Hebr. xiii. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum* (4).

Est autem hoc loco breviter annotandum, legem Mosis, quoad praecepta caeremonialia

et judicialia simpliciter abrogatam esse: quoad moralia praecepta, et doctrinam fidei mutatam esse, non abrogatione, sed profectu, non enim sublata est lex moralis, nec fides unitatis Dei, sed aucta, amplificata, perfecta; quomodo mutari solet infans in adolescentem, adolescens in virum, et quo modo populus Dei, Christo adveniente, non perit, sed statum mutavit. Lex autem evangelica sempiterna dicitur, non quod Sacramenta et omnia ejus praecepta nullum sint finem habitura, sed quoniam usque ad mundi consummationem legi evangelicae nulla succedere debet alia lex, cum hæc perfectissima sit: et præterea quia charitas, quae est lex nova, et testamentum novum scriptum in cordibus, numquam excidit, et sine fine in omnem aeternitatem durare debet.

Sextum discrimen, quod oritur ex secundo, illud est, quod lex Mosis non habebat vim justificandi, neque data erat ut justificaret, sed ut morbum ostenderet, et ad quaerendum medicum excitaret: Lex autem Christi, id est, Evangelium, vim habet justificandi, et ad hoc ipsum datum est, ut ab iniquitate justificet. Rom. iii. *Per legem cognitio peccati*. Galat. ii. *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est*. Et cap. iii. *Quoniam in lege nemo justificatur, manifestum est, quia justus ex fide vivit; lex autem non est ex fide*. Item si data esset lex quae posset vivificare, vere ex lege esset justitia. At Evangelium (ut dicitur ad Roman. i.) *Virtus Dei est in salutem omni credenti*. Et I Corinth. xv. *Notum vobis facio (inquit Apostolus) Evangelium, quod praedicari vobis, quod et accepistis, per quod et salvamini* (5).

Sed hoc quod dicimus, Evangelium vim habere justificandi, non ita accipiendum est, quasi sola littera Evangelii salutem adferre possit; sed quoniam (ut dictum est in secundo discrimine) cum Evangelii doctrina data est etiam gratia fidei et charitatis, quia legislator noster, simul etiam Redemptor fuit et simul cum lege dedit benedictionem, id est, gratiam implendi legem, juxta illud Psal. lxxxiii. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem* (6).

Quocirca B. Paulus ubicumque dicit legem non justificare, non opponit legi Mosis doctrinam Evangelii, sed legi opponit fidem,

(1) I Cor. X, 6; Heb. X, 1. — (2) Luc. XVI, 16; Heb. VII, 12; ibid. 18; ibid. VIII, 13; Gal. III, 19. — (3) Psal. CIX, 4. — (4) Psal. CX, 9; Bar. II, 35; Hebr. XIII, 20 — (5) Rom. III, 20; Gal. II, 21; ibid. III, 14; Rom. I, 16; I Cor. XV, 4. — (6) Psal. LXXXIII, 7.

operibus gratiam, et litteræ spiritum. Alioqui enim etiam littera Evangelii, sine spiritu et gratia, iram operaretur, et occideret, ut jam sæpe diximus.

Septimum discrimen, quod item oritur ex secundo, illud est, quod lex Mosis, lex timoris et servitutis fuit, Evangelium lex amoris et libertatis. Roman. VIII. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Galat. IV. *Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte Syna, in servitute generans, quæ est Agar.* Et infra: *Itaque fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit,* II Timoth. II. *Non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis* (5).

Sed hoc discrimen fusius explicabimus in sequenti capite. Interim illud annotasse satis erit, legem Mosis dici legem timoris et servitutis, quoniam legis mandata sine gratia Dei, quam Moses dare non potuit, reos constituunt homines, et pœnæ obnoxios; Evangelium Christi legem esse libertatis et amoris, quoniam Christus, qui dedit mandata, dedit etiam spiritum, per quem in corde diffusa est charitas.

Octavum discrimen est, quod lex Mosis gravissima et importabilis erat. Evangelium Christi jugum suave et onus leve. Sic enim de lege Mosis B. Petrus loquitur Actor. xv. *Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus?* De lege autem sua Christus Matth. XI. *Tollite jugum meum, inquit, super vos. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (2). Oritur hoc quoque discrimen ex secundo. Potissima enim causa cur lex nova sit levis, et lex vetus gravis, est annexa legi novæ gratia charitatis. Quod est enim durum et importabile timenti, leve est et facile diligenti. Et hanc rationem reddidit sanctus Augustinus in omnibus fere locis, ubi de hac re tractat, quæst. 146. in Exod. in lib. LXXXIII. quæst. 66. lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 17. in lib. de natura et gratia, cap. 69. et in libro de perfectione justitiæ post ratiocinationem decimam sextam. Ubi etiam addit insignem similitudinem de pennis avium, quæ non tam premunt, quam sublevant: *« Perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem, et facit præcepti sarcinam evem, non solum non prementem onere*

ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum ».

Sunt tamen etiam aliæ duæ rationes cur lex nova vere dici possit facilior veteri. Una est, quam reddunt Nazianzenus in 2. orat. de Pascha, et Chrysostomus homil. 8. de pœnitentia, quod spes retributionis longe sit major in lege nova, quam in veteri, cum jam propalata sit via sanctorum, atque aditus pateat ad regnum felicitatis æternæ. Altera ratio est, quoniam in lege veteri præcepta cærimonialia et judicialia plurima erant, et parum utilia; in lege nova paucissima sunt et utilissima: præcepta vero moralia fere sunt eadem in utraque lege. Nam illa quoque quæ videntur in Evangelio esse gravissima de dilectione inimicorum, et de concupiscentia cohibenda, inveniuntur Exodi XX, Prov. XXV. et alibi, ut sanctus Augustinus demonstrat in libro contra Adimantum, cap. 3. et lib. XIX, contra Faustum, cap. 28.

Itaque non ait Dominus Matth. V. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam legis et Prophetarum, sed plusquam Scribarum et Phariseorum, ut videlicet significaret, se non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quam tollere de medio corruptelas scribarum et phariseorum.* Quod si quæ graviora præcepta addidit, aut certe magis expresse tradidit, ut de non dimittenda uxore per libellum repudii, et si quæ sunt alia; non debent illa gravia videri populo Christiano, etiamsi gravia viderentur populo Judæorum. Nam non est grave viro forti, quod puero delicato importabile solet videri.

CAPUT V.

Refellitur falsa libertas Christiana, et inde probatur necessitas operum.

Disseruimus hactenus de falso et vero discrimine legis et Evangelii; nunc de falsa et vera libertate Christiana breviter disseremus. Nam hoc est alterum caput, unde magna ex parte dependet quæstio de necessitate operum ad salutem.

Igitur adversarii, ut supra diximus, in eo

(1) Rom. VIII, 15; Gal. IV, 24; II Tim. I, 7 — (2) Act. XV, 40; Mat. XI, 29.

ponunt Christianam libertatem, ut nulli legi subjecti sint in conscientia, et coram Deo; et Christum habeant pro redemptore, non pro legislatore; Moses autem cum suo Decalogo nihil ad eos pertineat. Nos vero cum Tridentino Concilio in sess. 6. can. 19. 20 et 21. docemus, homines Christianos et justificatos, non esse liberos ab obligatione præceptorum Dei et Ecclesiæ, et eam, quam Hæretici prædicant, non esse Christianam, sed profanam libertatem, et verius peccati, ac diaboli voluntariam servitutem.

Primum, id probamus ex iis testimoniis, quæ docent, Christum verum fuisse Legislatorem. Neque enim negare audebunt, se legi subjectos esse, si Dominum suum Legislatorem fuisse negare non possint, Isaias quidem cap. XXXIII. de Salvatore dicit: *Dominus Juxta noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* Ac ne ad tropum aliquem forte confugiant, audiamus Mosem in Deuter. cap. XVIII. *Prophetam, inquit, de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus, ipsum audies* (1).

Hunc Prophetam, Christum esse, testatur Apostolus Petrus Actor. III. et S. Stephanus Act. VII. sed apertissime Apostolus Paulus Christum confert cum Mose, ut Legislatorem cum legislatore. Nam in epist. ad Hebræos cap. 2. dicit, sermonem factum per Angelos in manu Mosis, ita firmum fuisse, ut omnis inobedientia dignam receperit vindictæ retributionem. Et inde colligit, multo magis timendum esse nobis, si sermonem filii Dei contempserimus. Et cap. 3. dicit, Mosem fidelem fuisse in tota domo Dei tamquam famulum, Christum autem in domo sua tamquam filium. Et cap. 5. dicit, Christum factum esse omnibus obedientibus sibi causam salutis æternæ. Obedientia autem proprie Legislatori debetur, et cap. 12. ita concludit: *« Videte ne recusatis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus, cuius vox movit terram tunc, nunc autem promittit dicens: « Adhuc semel et ego movebo non solum terram, sed et cœlum ».*

Præterea Christum esse regem nostrum omnis Scriptura testatur, Psal. II. *Ego autem constitutus sum rex ab eo.* Matth. II, 6.

(1) Isai. XXXIII, 22; Deut. XVIII, 15. — (2) Psal. II, 6; Matth. II, 6; Luc. I, 33; Apo. I, 5; ibid. XIX, 16; Isai. XXXIII, 22; Prov. VIII, 16. — (3) Isai. II, 3; Mich. IV, 2. — (4) Mat. XI, 30. — (5) I Cor. IX, 21; Gal. VI, 2.

Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel. Luc. I. *Et regni ejus non erit finis.* Apocal. I. dicitur: *Princeps regum terræ.* Et cap. XIX. *Rex regum, et Dominus dominantium.* At Regis proprium est leges condere; ideo siquidem Isaiæ XXXIII. conjungitur, *Legifer noster, cum verbis, rex noster;* et Proverb. VIII. dicitur: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (2). Christus igitur Rex noster legem aliquam sine dubio nobis dedit, per cuius custodiam obedientiam illi præstemus.

Secundo, idem probamus ex testimoniis, quæ docent, Evangelium esse quamdam legem. Nam Isai. II. et Michææ IV. dicitur: *De Sion exiit lex et Verbum Domini de Hierusalem* (3). Quæ verba intelliguntur communiter de prædicatione evangelica, quæ ab urbe Hierosolyma per totum mundum propagata est. Vide Augustinum lib. XVIII de Civ. Dei cap. L. et Isai. XLII. *« Ecce servus meus, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus profert ».* Et paulo post: *« Et legem ejus insulæ expectabunt ».* Et cap. 51. *« Attendite ad me popule meus, quia lex a me exiit, et judicium meum in lucem populorum requiescet ».*

Pertinere autem hæc ad Christum, perspicuum est ex verbis sequentibus: *Prope est iustus meus, egressus est Salvator meus.* Et Matth. II. cum Dominus ait: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (4). Nonne aperte legem aliquam se attulisse testatur? neque enim promissio, exhortatio, instructio, jugum et onus dici possunt. Sed lex, quæ obligat, et obligando premit et gravat, recte dicitur jugum. Unde Actor. XV. et ad Gal. V. lex Mosis jugum ab Apostolis appellatur. Præterea B. Paulus I Corinth. IX. *Is, inquit, qui sine lege erant, factus sum tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et ad Galat. VI. *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (5).

Tertio, probatur ex particularibus et propriis Christi mandatis. Nam in primis mandatum Christi in Evangelio contineri, de suscipiendo Baptismo et Eucharistia, nemo negare potest, cum tam aperte scriptum legamus, Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex*